

I. N. 7.

EXERCITII ACADEMICI

De

LEGE PERFECTA,

Jac. I. XXV.

Pars Prior, *et sola*

Quam,

Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

LAURENTIO O. LEFREN,

Lingvar. Orient. & Græcæ Profesi. Reg. & Ordin.

atque h. t. Rectore Magnifico,

Publicæ bonorum censurae subjecit

JACOBUS BECKMAN,

V. D. M.

Borea Fenno,


In AUDITORIO MAJORI Die XXII. Junii

Anno MDCCLXXX.

H. A. M. C.

ABOÆ,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J.C. FRINCKILL.



§. I.

De *Lege Perfecta*, quam Sanctus Jacobus, Epist. Cap. I. com. XXV. commendat, hoc quacunque specimine Academico disquirere statuimus. Prius vero, quam rem ipsam aggredi licet, adduxisse iuvabit Textum Apostoli Græcum, in quo hujus Legis mentio fit. Sic vero ille habet: *ὁδὲ παραύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, καὶ παραμένει, οὗτος ἐκ ἀνεργατῆς ἐπιληστικῆς γινόμενος, ἀλλὰ ποιητῆς ἔργου, ἕτος μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτῆ ἕσται.* Quum de sensu litteræ horum verborum non admodum dissentiant inter se interpretes, unum alterumve eorum audivisse sufficiat. Agmen hic ducat b. LUTHERUS; qui sic transtulit: *Wer aber durchschauet in das vollkommene Gesetz der Freyheit und darinnen beharret, und ist nicht ein vergesslicher Hörer, sondern ein Thäter: derselbe wird selig seyn in seiner That.* Lutherum, quoad ejus per genium linguæ fieri potuit, presse secutus est Svecus, qui eadem verba sic transfert: *Men then ther skädar uti frihetens fullkomliga Lag, och blifver ther-uti, och är icke en glömsker hörare, utan en görare, ti en sanne warder salig uti sin gerning.* DANUS

recentior sic interpretatur: Men den som figer ind i Frihedens fuldkomne lov, og bliver ved denne, saasom hand icke er en Glemster Tilhørere, men gerningens Gjører, saa skall hand være salig i det hand saa gjør. *Hic addere liceat translationem Gallicam BEAUSAUBRII & LENFANTII, in qua hæc est sententia: Au Lieu que celui, qui medite profondement la Loi parfaite, qui est la Loi de liberté, & qui y persévère, ni étant pas un auditeur oisieux, mais pratiquans ce qu' elle ordonne, trouvera son bonheur en agissant de la sorte.* plures facile possemur describere, sed his eo magis contenti esse debemus, quod omnes de translatione vocum, quas in fronte gerit opella nostra, amice consentiant, quamvis ceterarum unam alteramve alii interpretum nervosius, alii debilius transferant. Omnis igitur quæstio ad rem ipsam redit. Quod si igitur discere velimus, quidnam rei Apostolus hoc loco nomine *Legis Perfectæ* intellexerit, necesse est, ut sensum vocum potius ex *primis Philologicis*, quam ex *placitis atque decretis Theologorum* arcessere conemur.

§. II.

Ne vero prorsus insuper habere videamur, quid Theologis de sensu horum verborum decernere visum fuerit, eos in antecessum audivisse non pœnitabit, eoque minus, quod vel sola eorum *pugna* nos ad ulteriorem rei investigationem *invitat*. Hi vero eo modo in partes abeunt, ut sententias maxime con-

trarias tueantur. Alii hoc loco nomine *legis* id intelligunt, quod vox proprie significat, *normam scilicet faciendorum & fugiendorum*. Alii contra *purum putum* hic inveniunt *Evangelium*, itidem stricte & proprie sic dictum, alii iterum cum neutrum horum procedere velle vident, *utrumque* conjungendum faciunt, per *LEGEM PERFECTAM totum Dei verbum, quod non minus ex præceptis, quam promissis constat*, intelligi debere, contendentes. Mirum forte multis videri potest, quod *Theologi* tam oppositas sententias defendere sustineant, sed magis adhuc mirum videbitur, quod singulæ hæ sententiæ defendantur a *Theologis primi subselli*, quorum nomina hic facile adduci possent, nisi studium brevitatis prohiberet, & otium nobis fecissent eum alii, tum doctissimus Mecklenburgensium Superintendentens D. ALBERT. JOACH. DE KRAKEVITZ in *singulari Dissertatione* in h. l. anno MDCXXI Rostockii adita. Unum tamen alterumve nominasse non pigebit. Sic v. g. *doctrinam caelestem universam* Legis nomine hoc loco venire docent JOH. GERHARDUS ex *Dogmaticis*, & SEBAST. SCHMIDIUS ex *Exegeticis*, ut alios taceam. *Pro sola Lege* hic pugnant LUDOV. de DIEU, NIC. HEMMINGIUS, JUST. CHRIST. SCHOMERUS &c. *solum vero Evangelium* intelligunt uterque OSIANDER, LUCAS & ADAMUS, GLASSIUS, WALTHERUS, BROCHMANDUS, inprimisque CALLOVIUS & DE KRAKEVITZ, ut alios silentio præteream. Non dubito fore plerosque, qui necessarium judicent, unam harum trium sententiarum eligere, idque

idque ex eo capite, quod quarta non detur. Sed hi si didicerint, trium illarum singulas suis, iisque non parvis laborare *incommodis*, non admirabuntur nos, qui, his cognitis atque expensis, de alia veriori cogitandum statuimus. Et ne quid dissimulemus, eam nos quoque invenisse opinamur.

§. III.

Nostro enim iudicio Apostolus hoc loco *doctrinam Christianam, doctrinam Judaicam opponit*, atque illam quidem priorem nomine *Legis Perfectae* insignit & *libertatis*, hanc vero *implicite*, *legem imperfectam & Servitutis*, vi oppositorum adpellat. Hæc ipsa *oppositio* nobis eo videtur verior & sanior, quod duo contraria hic sibi invicem opponi certum est, nec verbi divini aliam perfectam, aliam imperfectam esse partem, sine maximo incommodo, stature licet. Nam cum omnis perfectio ex fine rerum, de quibus prædicatur, æstimari debeat, & Lex æque suum ac Evangelium suum habeat finem; eatenus utrumque perfectum dicere possumus, quatenus hunc finem adsequitur. Quis vero Legi facultatem adsequendi finem negare potest, nisi Deo Legis auctori opus imperfectum tribuere velit? Omnes igitur species, seu omnes partes V. D. hac ratione perfectæ sunt. Legis est normam actionum constitutere: Quatenus hoc præstat, eatenus perfecta est. Nulli autem *Legi* neque *morali*, neque *forensi*, neque *carimoniali* hoc genus perfectionis abjudicare licet.

licet. Pari modo perfectum est Evangelium; Finis ejus est *tantam gratiæ divinæ mensuram homini offerre & conferre, quanta ad solutem sufficit.* Hanc offert & confert, si quis eo rite uti velit; ergo perfectum est. *Nulla igitur, ratione perfectionis, inter Legem & Evangelium obtinet oppositio.* Atque hoc observato, facile perspicitur, quam lubrico fundamento nitantur, qui Legem & Evangelium ita continent, ut alteram perfectam, alterum imperfectum dicant. Quod vero ad sententiam adinet eorum, qui hoc loco nomine Legis perfectæ doctrinam cælestem universam intelligunt, ea quidem cum nostra in ipso rei fundo, ut ita dicam, convenire videtur. Quatenus vero inter perfectum & imperfectum doctrinæ genus, implicita quidem, sed vera tamen *oppositio*, ex mente Apostoli, hic locum habet, & Lex quidam perfecta, sic intellecta, non habet, cui opponatur, eatenus etjam hæc sententia vacillat. In doctrinacerte judaica verum Dei verbum ex parte adest, v. g. tota Lex moralis. Fieri ergo non potest, ut hæc sententia admitti possit, nisi simul admittatur, eandem legem in aliis perfectam, in aliis imperfectam esse, quod manifeste absurdum est. *Si loco doctrinæ Judaicæ doctrinam Veteris, & loco doctrinæ Christianæ, doctrinam Novi Testamenti posueris,* adhuc manifestior adparebit absurditas. Quominus vero nostram sententiam ita enunciare potuerimus, hoc in primis obtinet, quod Apostolus haud obscure simul respiciat ad *præjudicia Judaica*, quibus gens occæcata mentem & finem verbi divini perverterat.

§. IV.

His igitur præmissis, ulterius progredimur, nostram sententiam idoneo argumentorum præsidio firmaturi. Hoc facturis partim ipsa *verba* JACOBI, partim *Scopus & Contextus* paulo diligentius excutienda venient. Primum igitur vocem νόμος sub eundem revocasse juvabit. Hæc licet in lingua Græca, qua profani utuntur scriptores, proprie *legem* significet, quæ *regulam vivendi, seu normam faciendorum & fugiendorum importat*, in libris tamen Sacris, sæpe latius patet & *generatim doctrinam* valet, sive ea circa credenda, sive circa agenda versetur. Ratio hæc est, quod hæc vox νόμος in versione LXX interpretum respondere jussa est voci Hebrææ תורה, quæ, *vi originis, quamlibet institutionem* dicit, & *ex usu Biblico sæpissime κατ' ἐξοχήν omnia Mosis scripta, quinque comprehensa voluminibus* significat. Hæc vero volumina, cum non minus credenda, quam agenda complectantur, non mirum, quod Novi Fœderis Scriptores hanc vocem sæpius in significatione hac generaliori adhibuerunt. Cum que ad utrumque genus doctrinæ significandum se indifferenter habeat, factum inde est, ut *pura pura Evangelii doctrina* quandoque νόμος appelletur. Hoc diligenter observatum est ab iis, qui locum JACOBI de solo *Evangelio* intelligunt, ad loca Rom. III. 27. Joh. III. 28. Act. XVI. 30. provocantes. Quo jure id faciant, nunc non decernimus. Eo autem facilius latiore vocis significationem hoc loco adhibe-

hibere potuit JACOBUS, quod & gente *Judeus* ipse erat, & ad *Ex-Israelitas*, nimium quantum adhuc judaizantes, epistolam miserat. Qualem igitur Legem hic indiget, id ex scopo scriptionis, aliisque determinationibus, quas locus Apostoli habet, adhuc clarius & certius descendum est.

§. V.

Doctrinam Christianam doctrinæ *Jraëliticæ* ab Apostolo invicem *opponi*, statuminavimus. Necessè igitur est, ut *quibus in rebus* hæc duo genera doctrinæ opposita sint, paulo diligentius excutiamus. Vox *Nóvos* tria legis genera, *morale, cerimoniale, & forense* denotare potest, & pro re nata, nunc hoc, nunc istud, nunc illud etiam denotat. De singulis eorum seorsim agendum. Lex quidem, quæ *moralis* dici solet, utrinque adgnoscebatur, sed modo tamen diverso. Hinc oppositio non in ipsis *præceptis* hujus Legis, sed in diversa ejus *explicatione & adplicatione* quærenda. Judæi scilicet falso sibi persuadebant, satis esse *solum externum actum legis præstitisse*, quamvis idem *ex toto corde, ex tota mente & ex omnibus viribus* non proficisceretur. Deinde in hac mechanica legis observatione non tam *officium*, quam *meritum* ponebant. Præterea *objectum legis ad solos Judæos adstringebant*, adversus *alios licita existimantes omnia*. Quid? quod Rabbini ne *inficætam* quidem plebeculam suæ ipsorum gentis pro proximo adgnoscerent.

Ni-

Nihil dicam de *laciniis*, quas legi adsuebant, quippe quæ utrum ad hanc, an vero ad legem ceremonialem rectius referri debeant, incertum videtur. Nobis certe hoc determinare non valet. Contra Christiani *precepta legis moralis*, nisi ex tota mente, toto corde atque omnibus viribus, & quidem iubilantissime observarentur, nihil æstimabant. Deinde in iis faciendis non meritum, sed officium querebant. Præterea nomine proximi omnes intelligebant homines, quos sine ulla exceptione aut restrictione amando, & iuvandos, fide divina credebant. Tandemque huic legi nihil addendum, nihil detrahendum iudicabant, idque pariter fide divina faciebant. Quod vero ad *Legem adinet ceremonialem*, in qua, nostro quidem iudicio, potissimum & verissimum oppositionis momentum quaeri debet, eam sollicite quidem observabant Iudæi, sed ex puro puro opere operato, verum eius scopum, qui in *MESSIA* prænunciando & præfigurando, positus erat, penitus ignorantes. Cumque hæc Lex ex actionibus quibusvis indifferentibus gravia faceret peccata, ut eo fortius ad quærendam medicinam, quæ sub his involucris latebat, præsentissimam adigerentur, non mirum quod observatu difficillimam invenirent, & loco vitæ, quam exinde exspectabant, reatum mortis quotidie contraherent, eoque certius, quod res sæpius vetabat, quæ nullo unquam pacto penitus evitari poterant. Hanc legem eatenus tantum adgnoscebant Christiani, quatenus umbram exhibebat Sospitatoris Christi; quatenus vero ipse jam venerat, nec quisquam, nisi fatuus,

præsente corpore, umbram adorare potest, eatenus durum hoc jugum penitus sublatum, seque ab ejus portatione penitus immunes confitebantur, gratiam divinam & omnia beneficiorum genera ex solo Christi merito sibi certo certius pollicentes. De lege forensi nihil hic adinet dicere, cum vel ex allatis constet, quibus in rebus Christianismus Judaismo opponi debeat. Nostro quidem judicio, ut nihil dissimulemus, pars longe potissima oppositionis ad legem ceremoniale spectat. Qui scripta Apostolorum adtente legerit, is de hac re dubitare non potest. Multa certe loca inveniet, quæ hoc in fundo habent, quamvis externus adpectus aliud svadere videatur, cujus rei exempla hoc loco adducere non licet, cum ad ea, quæ scopum nobis propositum propius attingunt, properandum sit.

§. VI.

Sermo est Apostolo de Lege, quæ epitheton *πλειος* tueri possit, idqu ex hypothesi, in oppositione ad legem, de qua *πλειος* non prædicatur. Quid igitur, hæc vox importet, paucis inquirendum. A *πλ* est *πλει*. *τέλ* vero generatim loquendo illum ipsum designat terminum, ad quem ubi perventum fuerit, gradus sistitur, nec quidquam ulterius magnopere quæritur. Cumque hic terminus, pro *varietate subjectorum*, de quibus prædicetur varius esse possit, *varia* exinde oriuntur *notiones vocabuli*, quas hic sigillatim persequi nec vacat nec
juvat

juvat. Unam tamen, quæ ad scopum nostrum ad-
 prime conducit, silentio præterire non possumus.
 Hæc locum habet Rom. X. 4. ubi Christus diserte
 adpellatur *πάλαι νόμος*, ipse *terminus ad quem cessare*
delebat Lex, quippe *quæ in ipso & ab ipso ita perfecta*
seu impleta est, ut nullum amplius usum præstare
 possit. Hoc loco, quod obiter monemus, potissimum
 innuitur *Lex Levitica*, *cujus umbra & figura* CHRI-
 STUM quasi in tabula repræsentaverant. Hoc ea
 probant loca, quibus CHRISTUS vel adpellatur *πνεῦμα*
τῆς νόμου, *Spiritus Legis*, vel *πνεῦμα & γράμματα*, *Spiritus &*
Littera, sibi invicem opponuntur, utpote Rom. II. 29.
 VII. 62. Corinth. III. 6:7. &c. Sed illuc revertamur.
 Si *usum* *Thematis πάλαι* respicere velimus, *πάλαι* idem
 erit ac impletus, adeo ut *Νόμος πάλαι* sit *lex impleta*.
 Ne gratis hoc dixisse videamur, unum alterum adferre
 volumus exemplum. Ex profanis valde celebris est lo-
 cus APOLLODORI Bibliothecæ Historicæ de origine
 DEorum Lib. II. cap. IV. §. 4. *Ἀισχύριος δὲ τὸν χεῖρο-*
μον πλεσμένον, τὸν Ἀκρίσιμον ἔξω τῆς πόλεως ἔταψεν, i. e.
Cum vidisset eventum oraculo respondisse (vel impletum
esse oraculum) Acrisium extra urbem sepelivit. Paral-
 lelum exemplum habet ÆSCHYLUS Prometh. Edit.
 Venet. p. LXII. *ψευδογοεῖν αὐτὸν ἰσχυρὰτα ῥήματα τὸ δῖον, ἀλ-*
λά τὰ πάντα ἔπος πλεῖν, i. e. *Mentiri nescit os Jovis, sed omne*
dictum perficit (implet,) Similia exempla in Sacris
 etjam Litteris occurrunt v. g. Lucæ XVIII. 31. *π-*
ληροῦσονται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν, i. e.
implebuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas. Cap.
 XII. 37. *τίπο τὸ γεγραμμένον ἵτι διαπλησθῆναι ἐν ἡμῶν*, i. e.
 IV 2

hoc scriptum debet impleri in (per) me. Quod hic πλεσθῆναι dicitur, id per τέλος ἔχειν in proxima linea exprimitur. Nihil igitur obstrare videtur, quominus verba JACOBI τὸν νόμον τὸν τέλειον *legere impletam reddere possis*, per eamque intelligere doctrinam de implectione omnium, quæ Deus in Veteri Foedere vel disertis verbis prædixerat, vel obscuris umbris præfiguraverat. Quoniam vero Apostolus hic non utitur Participio *πτελεσμένον*, sed nomine *τέλειον*, adduxisse non poterit aliam vocis notionem, quæ eum signat, qui robustæ ac perfectæ ætatis, ob eamque causam maturi est consilii, ut ipse semet gubernare possit, adeoque opponitur puero teneioris ætatis, qui per imperitiam opus habet pædagogis & magistris. Hujus significationis exempla complura collegit JO. CONR. SCHWARZ in commentario Crit. & Philol. Lingvæ Græcæ Novi Fæderis, ad quem Lectores brevitatis causa remittimus, unum duntaxat describentes, quod ex POLYBIO adducit, in quo hæc est sententia: ἐλπίζαντες παιδίῳ ἠπῖω χηρῶσθαι τῷ Φιλίππῳ διὰ τὴν ἡλικίαν καὶ τὴν ἀπειρίαν τὸν δὲ Φίλιππον εὖρον τέλειον ἄνδρα καὶ κατὰ τὰς ἐμβολὰς, καὶ κατὰ τὰς πράξεις. i. e. *speraverant cum Philippo sibi tanquam cum puero infante rem futuram; Philippum vero in suscipiendis atque exequendis consiliis & negotiis virum perfectæ ætatis experti erant.* Hist. L. V. Cap. 29. Hinc νόμος τέλειος per metaphoram dici potest Lex adulta, quæ trocho & disco puerorum more non amplius iudit, sed rebus seriis incumbit, invigilatque.